**Consultatio medica practica proponens aegrotum arthritico nephriticum / [Johann Justus Buecking].**

**Contributors**

Buecking, Johann Justus.
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.
Universität Jena.

**Publication/Creation**

[Jena] : S. Krebs, 1675.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/p5g2ebxf

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

28

*I. N. S. S. T.*

CONSULTATIO MEDICA PRACTICA
proponens

# ÆGROTUM ARTHRITICO-NEPHRITICUM.

*Hanc*
Conſenſu Illuſtris Aſclepiadei ordinis
in Athenæo Salano
LOCO DISPUTATIONIS INAUGURALIS
*MODERATORE*

DN. AUGUSTINO HENRICO FASCHIO,

Medicinæ Doctore, Anatomiæ, Chirurgiæ & Boanices
Profeſſore Publico famigeratiſſimo, Archiatro Ducali
Saxonico celeberrimo,
*Præceptore & Patrono ſuo plur. venerando,*
PRO LICENTIA
Summos Honores, Privilegia, immunitates & inſiia
Doctoralia in arte Medicâ ſolemniter impetrandi,
*publico Philiatrorum examini ſubmittet*

JOH. JUSTUS BÜCKINGIUS,
ALSFELDENSIS HASSUS,

*ad diem XXII. Decembr. M DC LXXV.*
*In Auditorio Majori*
*Horis pro- & pomeridianis.*

JENÆ, Typis SAMUELIS KREBSII.

# P R O OE M I U M.

STtoicorum anteſignanum, *Zenonem*, uti nec animi ob adverſas res ac incommoda mortales nunquam non circumvenientia, funera puta propinquorum, bonorum amiſſionem, & ſimilia: ita nec corporis dolores triſtari, & vel quidquam moveri, hominem minimè decere, docuiſſe; ſed auditoribus ſuis, *dolorem eſſe pictam in pariete nebulam*, perſuadere ſtuduiſſe: quin etiam ſæviſſimis aliquando cruciatum doloribus, velut *ἀπαθῆ*, *ò dolor, dolor, nihil agis!* exclamâſſe, è literarum conſtat monimentis. At, Zeno,

*Vah! circum tua ſunt ſilicis præcordia venæ,*
*& rigidum ferri ſemina pectus habet:*
*Natus es è ſcopulis, nutritus lacte ferino,*
*&, dicam, ſilices pectus habere tuum.*

Hùc ades, arthriticosque ac nephriticos, qui fortiſſima quoque, &, *quæ pridem ignavos dedidicêre metûs*, pectora, mirum quantum excruciant, duriſſimoque ſuo ſublimium etiam hominum colla jugo ſubmittere cogunt, dolores intuere, & certarem, te à conceptâ receſſurum ſententiâ. Tanti etenim iſti ſunt, ut quamplurimi, hanc eorum violentiam experti, ſæviſſimis etiam quibusvis, quolibet igne ferróve infligendis, quàm iſtis cruciatibus exponere ſeſe malint.

Truculentum pectus, quod omnem quaſi humanitatem, non dicam exſuit; ſed penitùs ejuravit!

Sed nobis ex homine natis humaniora ſentire fas eſt, & naturalis uſus fert, humaniter cenſente *D. Bernhardo*, ut omnis caro ſimilem carnem diligat. E re itaque ac officio noſtro erit, ut tàm atrocium, vel quovis carnifice ſæviùs ſævien-

tium valetudinis humanæ tyrannorum, DOLORUM, puta ARTHRITICI ac NEPHRITICI, in unius ægri corpus debacchantium ferociam compeſcere, ac inprimis virum, ſubſequâ propoſitum hiſtoriâ, de nobis præclarè meritum, & indies merentem, è tàm diris cruciatibus, quantum in ſervandorum hominum artis poteſtate eſt, beneficiorum memores, eripere, aut ſaltem iſtos mitigare, DISPUTATIONIS SOLEMNIS locô, pro ingenii viribus moliamur. Hoc ut benè ac feliciter eveniat, inexhauſtum boni omnis fontem devotè pièque ſolicitamus!

# CASUS.

SENEX VENERANDUS 75. annorum, cujus temperamentum ad caliditatem ſiccitatemque nonnihil inclinare videtur, habitus corporis mediocris, à tenerâ ſuâ ætate, ad multam usque ſenectutem variis occupatus fuit itineribus, pluvioſoque cœlo nocteque dieque ſummum perpeſſus eſt frigus, atque adeò, ut cogitatu facillimum ſit, varios dictis peregrinationibus, uti ſæpè fieri aſſolet, commiſſos fuiſſe diætæ errores; ita præ cæteris huic anſam dediſſe morbo, extra dubitationis aleam poſitum eſt; Abhinc 34. annis de doloribus pedum atque manuum conqueritur atrociſſimis, temporis tractu, coxendices, ſcapulæ, cervix, imò, quod miratu dignum, oculi iisdem ferè afficiebantur torminibus cum tumore atque rubore conjunctis: articuli etiam præprimis manuum atque pedum tophis quamplurimis ſunt referti. Appetitus quodammodo diminutus

nutus eſt, unà cum ſiti nullo non tempore auctâ. Alvus officio minimè fungitur: reſpiratio quamvis bene ſeſe habere videatur, pulſus tamen celerior cum debilitate obſervatur, noctu appropinquante omnia exacerbantur dicta ſymptomata. Nec cerebrum ab hâc tyrannide planè eſt immune; etenim vertigo, inſomniaque, & cephalalgia ſæpè ſæpius noſtrum vexant ægrotum: Hæc & alia non minus gravia ſunt preſſo inſequuta pede mala, veſicæ ſcilicet atque renum calculus, cum lumborum dolore conjunctus, ſtranguria, urina cruore tincta, atque diverſi diverſarum figurarum calculi fuêre excreti, ſubſequente nauſeâ, mox vomitu. His omnibus frequenter fuit aſſociatus febrilis horror, levi cum calore. Innumeris ferè hiſce ſtipatus ægrotus ſymptomatibus, implorat Medici opem.

## *RESOLUTIO.*

AFfectum hunc eſſe complicatum, *Arthritico* - ſciſ. *nephriticum*, non tantùm ex artuum doloribus, iisque atrociſſimis, cum rubore tumoreque conjunctis; lumborum itidem dolore, ſtranguriâ, ⊡ cruore tinctâ, liquet; ſed etiam alia in hiſtoria recenſita ſigna abundè manifeſtant.

Prioris nomen cùm generale ſit, atque reliquas ſub ſe contineat ſpecies, illæque plurimam in partem noſtro in ægroto reperiantur, idcircò hunc in genere tractare atque exponere, animus eſt.

Derivatur itaque ἀπὸ τοῦ ἄρθρου, *articulo*, eò, quòd articuli præ cæteris ſint afflicti.

Non autem eſt *arthritis*, quæ *vaga*, nec quæ *ſcorbutica* dicitur, quia materiæ velocitate deſtituta eſt, nec ſe pedum maculis laxitatéve gingivarum prodit.

*Particularis* non eſt, uti diximus, cùm omnes penè ægroti artus invaſerit; imò nec oculis pepercerit.

Non eſt *hæreditaria*; à ſanis enim natus eſt æger parentibus.

Non *continua*, quia per paroxyſmos quaſi affligit ægrotum.

*Maligni non eſt moris*; ex manifeſtis enim deducitur cauſis: Ad *Chronicos* refertur *morbos*, qui actiones lædunt, & præſertim animales, ſenſum lædentes motumque diminuentes.

Quamvis meridiano ſole clarius ſit, huncce noſtrum ægrotantem *Arthritide* laborare, attamen ejus præſentiam ordinis & methodi gratiâ demonſtrabimus, & quidem

1. EX ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS: dolore ſc. articulos, præprimis cum tumore atque rubore invadente.

2. ESSENTIALITER CONSEQUENTIA, motus ſcil. impotentia, vigiliæ &c. eundem confirmant.

3. CAUSÆ PRÆGRESSÆ eundem patefaciunt, tum naturales, tum nonnaturales, dilucidiùs pòſt explicandæ; imprimis tamen huc facit nimia membrorum à frigore hybernô facta debilitatio.

4. SIMILITUDO & hîc locum habet; obſervavimus enim ante annum eodem modô decumbentem ægrum, ab omnibus pro tali habitum; hunc ergò affectum adeſſe extra omne poſitum dubium.

SUBJECTUM PRINCIPALE ſeu πρῶτον δεκτικὸν ſunt articulationes ferè omnes, quatenus ex partibus membraneis, ligamentoſis atque nerveis fibris, tendinibus, perioſtiis oſſium capita circumcingentibus, conſtant; unicum enim & adæquatum tactus ſubjectum ſunt membranæ; reliqua verò, quatenus de membranis participant, à ſentiendi non excluduntur facultate.

Notanter dicimus: *partes circa articulos membranoſas*; ſi enim ad nervos, quatenus motui inſerviunt & muſculis inſerun-

ferũtur, tantæ acrimoniæ humor præcipitaretur, certò certiùs convulſivos excitaret motus: Oſſa verò, cartilagines, articulorumque cavitates ab horum excludimus numero, quamvis ab aliis, præprimis *Galeno 6.aph.49. comment.* ſentiendi iis attribuatur facultas; nec muſculis primariò eadem competit, cùm exactô non polleant ſenſu, niſi membranarum fibrarumque nervearum ratione.

Rarum eſt, quando penem, latera, caput, frontem occupat; qualia exempla habent *Capivacc. Sennertus* aliique. Notatu æque digna eſt obſervatio *Magnif.D.D.Horſtii, Patroni mei colendiſſimi*, quando circa oculos ægrotantis dolores excitavit ſummos. Sennertus meminit arthriticorum, à quorum fronte arenulæ granorum ⊖is inſtar abſtergi potuerunt.

Hujus etiam rei teſtimonium ſufficienter exhibuit *Beatus BOSIUS, Polyhiſtor Academiæ noſtræ celebratiſſimus*, qui arthriticis invaſionibus per longam annorum ſeriem vexatus, circa digitorum tàm manuum, quàm pedum articulos, imò tandem in palpebris & ſuperciliis rotundos & ſatis notabiles aluit tophos albicantes.

Ad *ſubjectum principale* quoque pertinet CUTIS, cujus maxima pars ex fibris arteriarum, venarum, nervorum & tendinum contexta eſt, atque dictorum vaſorum oſcula ultimò recipit, idque mediantibus glandulis ſeu papillis pyramidalibus, illarumque poris ſeu foraminulis, retis inſtar ſeſe habentibus; hæ enim papillæ ſunt nerveæ portiones, ideoque valdè ſenſibiles, ac è cute protuberantes; cutis quoque partes ſunt fibræ infinitæ per longum & obliquum circumductæ, perque illam nerveæ diſſeminantur propagines, itaque materia acris, bilioſaque ad has propulſa, ſummum infert dolorem, & tantum, ut digiti quoque vereantur admotionem.

ADÆQUATUM ſunt penè *univerſa corporis membra*, motui obſcuro atque manifeſto inſervientia, in hiſtoriâ recenſita.

SECUNDARIUM conſtituit *ſanguinis maſſa* unà cum *lymphâ*, quatenus continent particulas acidas, ♀eas, acres, quæ in corde non ritè digeſtæ, & à pancreate, aliisque glanduloſis

cor-

corporibus non attractæ, neque correctæ, neq; ſeparatæ ſunt

CAUSA IMMEDIATA hujus adfectus conſiſtit in continui, ſeu membranarum nervearum ab acrioribus jamjam explanandis humoribus factâ ſolutione.

MEDIATÆ PROXIMIORES explicatu quidem difficiles videntur; attamen easdem ex principiis Neotericorum quorundam deducere jam placet. Acres ergò ſanguineæ maſſæ commixtos, acidos, ♀eos, circa articulorum ligamenta nervea, membranarumque fibras à frigore debilitatas ſtagnantes & coagulatos accuſamus humores, è chyli particulis non ritè fermentatis, indigeſtisque ortos.

Notum quippe eſt, pleraque à nobis ore aſſumpta ex particulis ⊖e volatili °°ſo 🜍eo, acidoque &c. refertis, conſtare, uti *Excellentiſſ. D. D. Wedelius, Profeſſor Theoretices publicus famigeratiſſimus, Præceptor æternum mihi venerandus*, eruditiſſimo atque curioſô tractatu in lucem editô, quoad vegetabilia, nuper demonſtravit.

Hæc ſalivæ particulis volatilibus acidiuſculis maſticata, ventriculique fermento acido, igneque vitali imbuta, propriis alimentorum potulentorumque ſalibus variis disſoluta, fermentationem ſubeunt, cujus auxilio acidum ciborum atque potus occultum unà cum ventriculi Archeo fixiores oleoſas atque volatiliores aggreditur particulas, leviterque ſic modô fermentandi naturæ convenientiſſimô, volatilia à compedibus liberat; fixa verò volatiliſat, adeoque ſeminali quâdam chyli proprietate imbuit.

Factâ nunc centrali diſſolutione, & illorum compage, quin & ipſis penetralibus reſolutis, quæque erant in occultô, in lucem protractis particulis 🜍is ⊖nis, fixis atque acidis volatilibus, unà cum bilis lixivioſis balſamicis partibus & ſucco pancreatico à lateribus ſimul affluentibus, magis magisque mirabili modô exaltatis, inque inteſtinis depuratis, per eorundem glandulas, venis lacteis, ſimul cum lymphâ ductui dorſali, tandemque cordi infunduntur, ibidemque ſeminali cordis fermentô, menſtrui ſcil. ſingulari beneficiô magis volatiliſantur, & ſigillo vitali atque ideâ ſpecifica

cificâ inſigniuntur, & ſic cum admixtô ſanguine, partibus chyli alcalicis volatilibus, cum 🝆ſis ſeu 🜍eis magis magisque digeſtione, circulationeque exaltatis, rubicundum ac purpureum nanciſcuntur colorem, ſicque unà cum ſanguine ad omnes totius corporis partes nutriendas, per arterias, mediante cordis pulſu, abeunt.

Contrarium verò ſi eveniat, atque feculentis crudioribus, acidioribus ſcil. remanentibus particulis, ut & volatilibus 🜍eis, quacunque de causâ dictô modô non elicitis, multò minus in corde alteratis, accidit, ut, ſi tales acidiores fixioresque humores per arteriarum, præprimis ſuralium fibras minutiſſimas, membraneas ad articulationes, unà cum ⁓tibus animalibus per nervos adveniant, ob 🜔is volatilis ſanguinis arterioſi defectum, acriores redduntur, adeò, ut ob eandem cruditatem fixitatemque ingreſſus in minutiſſima venarum, lymphaticorumque vaſorum orificia glanduloſa prohibeatur, & dubio procul cum iisdem ibidem repertis ſeminalibus fermentis partibus propriis, unà cum lymphâ in glandulis conglomeratis, conglobatisque cerebri, meſenterii, pancreatis, &c. repertâ & exſtante, effervescere incipiunt, pariter ac in ⊕lo ♂tis ac ♀ro ⊕lato &c: Acidum enim præprimis lymphæ cum volatilioribus alcalicis efferveſcentiam excitando, ſummos eosque atrociſſimos excitat in dictis membranis nerveis, eas ſcil. vellicando, dolores.

Cùm verò 🜔ia volatilia alcalia pauciora, aquoſis lymphæ partibus per vaſa lymphatica lentè ſeparatis, ab acido ad ſui ſaturationis properante punctum, eadem in gelatinam, & ſucceſſivo gradu in tophaceam coagulantur materiam.

Sin verò bilioſæ, 🜔næ, 🜍eæ fuerint admixtæ partes, ad cutis glandulas papillares nerveas detruſæ, ruborem conciliant cuti ſummum, eô ferè modô, ac ſi ⁓ ⊕*li* 🝆*o terebinth.* affundatur, emiſſis ad digladiandum cominus militibus ſuis, non raro flammam concipiunt.

Renalis *calculi ſubjectum* æque ac ejus cauſa immediata notiſſima cùm ſit, mediatam ſaltem hìc adjuncturi ſumus, quæ ſimiliter iisdem ex principiis univerſæ naturæ communibus petenda erit.

 Eædem

Eædem in præcedentibus notatæ particulæ, digeſtione ac fermentatione è chylo non elicitæ, nec in corde volatiliſatione exaltatæ, crudiores cum ſanguine è ſiniſtrô cordis thalamô per arteriam magnam deorſum ad emulgentes ramos in ipſum parenchyma renum deportantur, circa papillares eorum carunculas colliguntur, in quarum porulis acidiores ſanguinis particulæ hærentes, nec ob cruditatem exitum invenientes, alias volatiles alcalicas, 🜍reasque particulas transcolandas, ibidem arripiunt, atque acidô his ſaturatô in calculum figunt duriſſimum, non aliter, quàm ex 🜈 rectific. cum 🜔e ⊡æ conjunctô, aliquot menſium digeſtione leni, calculus, *lapis animalis* quibusdam dictus, coloris punicei producitur.

Eodem verò modo cibi quivis maſticati, ſalivâ ſoluti, circa dentes hærentes, diſſolvuntur, &, craſi eorum diſſolutâ, particulæ volatiles 🜍eæ à compedibus liberatæ fugam petunt, (hinc quorundam oris fœtor;) reliquæ verò ab acidô arreptæ figuntur, ſicque in 🜿rum abeunt, qui & in fixas, oleoſas, 🜍eas; & hæ quidem in volatiles reſolvi, arte chimicâ, poſſunt.

Quoad *eſſendi modum*, & quidem *ratione quantitatis*, humores peccant acidiores, naturæ legibus atque inſtituto non reſpondentes; qui naturales ſi excedunt terminos, periculum debilioribus minantur partibus.

*Qualitatibus* excedunt *manifeſtis* humores, quatenus acidioris redditi ſunt participes naturæ, qui tunc ad acidam, modò ad acrimoniam aliam, aut mixtam inclinant qualitatem ratione diverſorum fermentorum diverſam, adeò ut acido prædominium habente, coagulentur; hoc abſente, & ſalino cæteris præpollente, ſolvantur. *Occultam* cum *Platero* vix agnoſcimus.

*Generationis* horum humorum *modum* quod attinet, generatur materia κατὰ συναθροισμὸν καὶ βραχὺ, non quidem in articulis ipſis, verùm in ſanguine, glandulisve conglomeratis conglobatisque, pancreate, meſenterio, cerebro &c. modò in uno, modò in pluribus ſimul.

*Trans-*

*Transmittitur* poſtmodùm & ≂tatur materia per arterias, harumque ramulos, usque ad extremitates artuum frigore debilitatorum poroſque membranarum.

Fluxionis modus fit ſanguinis cum lymphâ rarefactâ fermentatione, quæ longius, ut excurrere poſſit, deſiderat ſpatium. Modum verò fluxionis hujus promovere poſſunt vaſorum dictorum, arteriarum nempe, valvulæ, & initium faciunt ſigmoides ſive ſemilunares, quæ utpote foràs ſpectantes è dextrô cordis ventriculô in venam arterioſam ſanguinem beneficiô ſyſtoles excluſum recipiunt, &, ne iterùm relabatur, impediunt. Ita continuatur fluxionis modus, usque dum in partes, à frigore imbecilles redditas, eorum humorum fiat influxus. Undè imbecillitas talis partium cauſa eſt inter alias præcipua, quæ affluxum promovet.

MEDIATÆ NATURALES, inter quas occurrit temperamentum ægrotantis calidum atque ſiccum, ſeu cholericum.

*Habitus mediocris* hìc ſuum etiam addit calculum.

*Ætas ſenilis* caloris ob defectum maximi eſt momenti. ⊖inæ enim, oleoſæ ſeu 🜍eæ volatiles ſanguinis partes deficiunt naturâ, ſicque pituitæ generationi aperitur janua.

*Sexus virilis* magis diætæ erroribus deditus.

*Hæreditaria diſpoſitio* in noſtrô non invenit locum; progreſſum hinc facimus ad

NONNATURALES: ubi AER primùm venit conſiderandus, cujus particulæ acidæ, ⊖ſæ, ☉is æſtu non temperatæ, reſpiratione attractæ, volatiles figunt ſanguinis particulas, adque motum reddunt ineptiores. Per poros etiam ad articulorum membranas nerveas ſeſe inſinuantes, ~tuum motum impediunt, atque quadantenùs aciditate ſuâ figunt.

CIBI ex vegetabilium atque animalium particulis fixioribus, 🜍eis volatilibus ac acidis conſtantes, ad hujus affectus productionem quàm maximè faciunt, vel dum nimiâ ingeſti ſunt quantitate, vel non probè præparati aromatibusque correcti, inque ventriculo aliisve corporis partibus non ritè fermentati. Impuriores particulæ, ſi non per loca excernantur convenientia, ad debiliores partes deponuntur.

Longo abhinc tempore, dum mercaturam feciſſet noſter æger, *varia* varii generis *vina*, uti peregrinantes non rarò ſolent, vel ſpontè, vel neceſſitate coacti, aſſumſit; quæ ſi vel non ritè fermentata, vel à locô natali 🜿ea exiſtunt, atque ſubacidiuſcula, inque ventriculo non ritè digeſta atque volatiliſata in corde, accidit, ut horum particulæ 🜃ſtres acidioresque ad minutiſſimas membranarum fibrillas, glandularumque in renibus pervenientes porulos, in diverſa ratione diverſitatis materiæ abeant concreta.

Motus nimius partes nimis debilitando ∽tusque depauperando, ad hoſce recipiendos humores anſam dedit articulis.

Vigiliæ intempeſtivæ ac nocturnæ ∽tus animales conſumendo, & acrimoniam, ſpiritibus aliàs temperatam, augendo, non ſunt inter cauſas ultimæ.

Inter animi pathemata ira patris fungitur officiô quàm maximè. Ab animâ enim perceptis per ſenſuum organa injuriis &c. ad ejus obeunda munia utitur ∽tibus animalibus, qui per nervos pervenientes ad muſculos, tendines, & tandem oſſa ad motum ſtimulant, unde conſequenter bilis etiam veſicula per nervos ſibi proprios mota vel irritata, bilem reddit mobiliorem, quæ mobilior reddita aut volatilior in inteſtina partim ſuperiora, & hinc in ventriculi ruit cavitatem, unde vomitus inſequuntur non rarò enormes; partim ad inferiora, unde cor, maſſam ſanguineam, omnesque corporis partes, & hinc univerſam perturbat ſanguinis œconomiam, acriores reddit ferè ſingulos humores, artubus inſidiantes, quos præprimis debilitat, unde hoc in actu tremore, ſtimulatis nerveis membranis, afficiuntur, & tandem lento gradu, abſumptâ materiâ volatiliori, remanentibus circa articulos viſcidioribus atque acidioribus, dolore iſti torquentur atrociſſimo, imò tractu temporis motu planè deſtituuntur.

Retenta & hìc non minus accuſantur, quippe aſſumptorum particulæ acres ad alias ſi deponuntur partes, excrementa relinquunt viſcida, 🜔bus deſtituta, quorum abſentiâ

ntiâ alvus non ſtimulatur, nec, ut officio fungatur, admo-
etur.

VENUS, quæ aliàs *Bacchi proles* ſalutatur, & propter re-
etitum matrimonium & liberorum deſiderium frequens hìc
onjicitur, ~us abſumendo genitales, hincque acriorem red-
lendo ſanguinem, commodiſſima hîc declaratur cauſa. Ap-
oſitè hinc Poëta:

*E ſolvilumbo Baccho, ſolvilumbaque*
*Venere, creata eſt ſolvilumba podagra.*

Et: *Ut Venus enervat vires; ſic copia vini*
*extenuat nervos, debilitatq́, pedes.*

Nunc ad *ſymptomatum*, ex hiſce cauſis natorum, ratio-
nem reddendam nos accingemus, & (1.) quidem,

*Dolorem pedum aliarumque partium*, quæ ſcil. matricis in-
ſtar ad hocce fermentum ſuſcipiendum idoneæ ſunt atque
diſpoſitæ, quod attinet, illum ⊖no-acidis non probè fer-
mentatis atque digeſtis adſcribimus humoribus, nerveas li-
gamentoſasque membranas vellicantibus ac ſtimulantibus.

2. *Tumor* propè articulos, alibique productus rarefactio-
ni humorum vel halitibus ab efferveſcentiâ vitioſâ exſurgen-
tibus ſuam debet originem.

3. *Rubedo* in partibus dolentibus ſubſequens agnoſcit
partes bilioſas, acres, ⊖nas atque ♀reas.

4. *Tophi* atque *nodi* tandem exorti, acidis particulis ad
ſaturationis punctum jamjam deductis, lymphâ ab iisdem
coagulatâ ſubminiſtrante materiam, adſcribuntur; eodem
ferè modô, ac ſi ☽ per 🜄 ſoluta, vel ☿, qui liquiditate lym-
phæ vel ſynoviæ reſpondere videtur, ⊖ communi præcipi-
tetur, in calcem albicantem, tophis non abſimilem coagu-
latur.

5. *Appetitus* quandoque *diminutus* exiſtit, cùm ſcil. nati-
vum ventriculi fermentum copiâ indigeſtorum ciborum ob-
rutum ſit, nec raro bilioſis ſuperabundantibus particulis,
animi commotionibus gravioribus in ventriculum delatis
invertatur, adeoque diminuto præbeat anſam appetitui.

 6. *Sitis*

6. *Sitis* ſæpiſſimè ab halitibus bilioſis, ſalſis, nativum ve
triculi fermentum ſimul ⩪ tantibus, vel quoque à ſalſis com
ſtis, ſaléve conditis, quibus delectatur nonnunquam ægr
tus, exſurgit cibis.

7. *Pulſus celeritas* initio quidem paroxyſmi adſcribend
venit humoribus bilioſis, 🜍, acrioribus cordi communicati
illudque ad majorem motum ſtimulantibus, vel ſanguine
rarefacientibus. Ab iisdem & febrilis calor exſurgit; nam l
cum acido ſi effervescant, maximum excitant calorem, pari
modô ac in ⊕lo ♂ vel ₒ°ₒ terebinth. ſi ⌒ ⊕li affundatur, qu
non raro flammam excitato △ concipiunt.

8. *Pulſus debilitas* iisdem deficientibus, & primariò ⌒t
bus vitalibus proſtratis ortum debet.

9. *Noctu exacerbata ſunt omnia*; quemadmodum enim u
niverſalis calor ☉is filius, omnia blandô ſuo fovet calo
ſublunaria; ita illo deficiente, & retractis ☉is radiis, corpu
noſtrum calefacientibus, ☽â prædominium obtinente frig
diore, malum ægrotanti exacerbatur. Id quod multis ſimil
bus illuſtrari poſſet, modò paginæ hæ admitterent. Novi
arthriticum *D.D. Præſes*, cujus dolores, noctu brachiis ad ra
dios ☽ares inter ſomnum expoſitis, alterô die notabiliter ex
acerbati ſunt.

10. *Dolor capitis, vertigo, inſomnia* à diverſis quoque pro
veniunt cauſis: Crudi enim atque acres indigeſti humore
partim acres, flatulenti partim ſanguine mediante, cerebr
per arterias communicati, vel pungendo membranas cere
bri nerveas, dolorem; vel ⌒ animales flatulentiâ circumro
tando vertiginem; phantaſiæ ſubjectum commovendo, in
ſomnia excitant.

11. *Renum* ut & *veſicæ calculus* ex feculentis ♀, crudis, aci
dis præprimis humoribus circa glandulas, ſeu papillares re
num carunculas, veſicæque latera cumulatis, exitumque vi
invenientibus cum aliis ſanguinis ⊖bus volatilibus ⊡ſis i
talem coagulatur duritiem ◡.

12. *Stranguriæ* cauſa ex dictis itidem innoteſcit, quippe
veſicæ collum acidis eò per ureteres deductis humoribu
dolore inficitur & quaſi conſtringitur.

13. *Urina*

13. *Urina cruenta* fermento bilis debiliori, acidoque prædominanti natales debet.

14. *Nauſea* & *Vomitus*, nephriticos ſubſequentes dolores, à conſenſu exilium nervorum ſexti paris in ſtomachum derivatorum dependent. *Williſius* renalem inter & hepaticum alium inveniſſe dicitur nervum amplum, à quo vaſis choledochis irritatis, ad nauſeam, mox vomitum ventriculum excitari perhibet.

15. *Febrilis horror* in principio exortus, agnoſcit acidam cordi cum ſanguine infuſam lympham in glandulis conglomeratis conglobatisque genitam, frigore externo, vel acidiore interno indigeſto coagulatam. Idem obſervatur in gravedine capitis, humoribus, ſanguine ſcil. atque lymphâ, his calore naturali vel artificiali, mobilioribus & volatilioribus redditis: adveniente verò frigore in glandulis cerebri coagulatur lympha, quam mox horror ſubſequitur.

Circa *Prognoſin* SALUTIS & MORTIS notandum, quòd, quamvis non ſit lethalis propriè & ex ſe; curatu tamen difficillimus exiſtat, & eâ quidem de cauſa, quòd particulæ 🜿, crudæ, coagulatæque fibris membranarum & ligamentorum nerveorum ſint adeò impactæ, ut vel medicamentis, quamvis optimis, illas expellere ſit utplurimum impoſſibile; nec eædem eandem ob rationem vaſorum lymphaticorum, venarumque ſubire poſſint orificia glanduloſa, nec quivis facilè talia in enixum converſa diſſolventia poſſideat, pauci illa ob corroſivorum metum admittant. Accedit, quod & medicamentorum per tantum circuitum virtus deperdatur, antequàm ad loca adfecta perveniant. Protruſis autem & ⊽-tatis particulis nocivis à nobilioribus partibus ignobiliora verſus, fit, ut contra alios morbos ſit προφυλακτικός, adeoque οὐ θανάσιμος, *minimè*, ut diximus, *lethalis*, *Hippocr.* teſte *l. 1. de morb.* ἢν μή τι αὐτῷ προσγένηται, *niſi quid illi ſuperveniat.*

LONGITUDINIS & BREVITATIS ratione *Hippocrates* inter diuturnos recenſet affectus. Neceſſe enim, *ait*, hos eſſe longos: *tabem, inteſtinorum difficultatem, podagram, fluxiones.* A paroxyſmô quidem liberabitur, Medicorum præ-

ceptis

ceptis ſi obtemperabit; non autem à malo ipsô, quod utplurimum ad mortem uſque ægrotos, uti quoque in noſtro ad ſummum tendente ſenium, conjicere eſt, comitatur, eò quòd ſufficientia hiſce anguſtias non ſint data reſolventia.

Modus Eventus eſt multiplex: ſi *ad ſalutem* vergat, terminabitur *reſolutione* materiæ dictæ ♀æ, acidæ, atque hujus per ſudorem renesvè, mediantibus medicamentis ⊖inis volatilibus, alcalicis, coagulata diſſolventibus, digerentibus, concurrente ſimul naturâ, evacuatione.

Ad partes ſi materia vitioſa detrudatur exteriores, benè res ſeſe habebit; ſi verò ad interiores repercuſſa; aut alibi ſuppreſſa, perque *μετάστασιν* translata, periculi plena res eſt. *ἀπέσκηψε πολλοῖσιν ἐς ὕδρωπα ἡ ποδάγρα, ἄλλοτε ἐς ἆσθμα καὶ τῶν δὲ ἄφυκτος ἡ διαδοχή. Multis in aquam intercutem deſinit podagra, multis in aſthma. Rolfinc. epit. cognoſcendi affectus partic. l. 4. c. 1. p. 386. Hæc ſucceſſio immedicabilis eſt & inevitabilis.* Ad cerebrum delata, *Apoplexiam, motusque* ſæpè *convulſivos* excitat: per nervos cardiacos *lipothymiam:* per vagi paris nervos, ac intercoſtales ad ventriculum depoſita, *moleſtias continuas:* ad pulmones, uti *Gal. lib. I. ther. ad Piſon. difficultatem reſpirandi:* ad vaſa lymphatica detruſo acido, *obſtructiones* cauſatur; illa circulanti lymphæ fluxum diſputantia, rumpuntur & *hydropem* cauſantur: ad inteſtinum ſæpè transportari, ait *Cous 6. Epid. ſect. 34. l. 3.* arthriticus enim ceſſat dolor, exacerbatô colicô & contrà; ad renes eandem quandoque properare materiam arthriticam, notum eſt, undè ſubortis in quibusdam renum doloribus, ceſſarunt arthritici & contrà. Accidit tamen ſæpiùs, ut conjuncti maneant hi duo adfectus, *μὴ παυσμένȣ προτέρȣ, non ceſſante priori morbô.*

Curatio maturanda, præpoſitis ceu ſtatuis ☿alibus, methodô medendi, & experientiâ cum materiâ præſidiorum.

*Methodus medendi* ſuggerit *Indicationes* conſuetas; *Curatoria* ſymptoma ipſum, aliorumque cum ipſo concurrentium morborum ablationem reſpicit, adeoque ut vel dolores in paroxyſmo mitigentur, vel citius ad finem deducantur. *Præſervatoria* cauſis removendis intenta, humoribus

quan-

quantitate qualitateque, motu atque loco peccantibus frenum injicere jubet, generalem arthritidis cauſam evacuando, antequam ad articulos perveniat, acres, acidos, ⊖nos, ♀reos &c. temperando, obtundendo, indigeſtos fixiores exaltando, &, ne tales amplius generentur humores, proſpicere debet.

*Mitigatoria*, ſupervenientia ſymptomata aptis demulcet remediis.

*Vitalis* cordi aliisque partibus nobilioribus conſulit, aliis jamdum debilitatis proſpicit omniaque eò dirigit, quæ ægri ex uſu modò eſſe poſſunt, tàm per alimenta, quàm hunc in finem præparata medicamenta convenientia.

